AUTHOR:

TITLE:

PRAEMISSA EST DISSERTATIO DE ATLANTE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1836]

Master Negative #

92-81149-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B44260         Acquisitions     NYCG-BT
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG92-B44260            RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:12-17-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:    SNR:     ATC:        UD:12-17-92
  CP:gw      L:ger     INT:?   GPC:?    BIO:?   FIC:?    CON:???
  PC:s      PD:1836/           REP:?    CPI:?   FSI:?    ILC:????   II:?
  MMD:      OR:   POL:    DM:     RR:           COL:     EML:     GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  245 10   Praemissa est dissertatio de Atlante‡h[microform].
  260      Lipsiae,‡bTypis Staritzii, Typogr. Acad.,‡c[1836].
  300      20 p.
  LDG      ORIG
  QD       12-17-92
```

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-3-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXXXVII

INDICIT.

PRIDIE CAL. NOV. A. MDCCCXXXVI.

Praemissa est dissertatio de Atlante.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Nulla pars antiquitatis est, in qua explicanda maior adhibenda sit cautio, quam res mythologicae. Nam et origines fabularum fere tam obscurae sunt, et mutationes tam variae, et interpretandi viae per ipsorum veterum modo levitatem, modo credulitatem, modo argutias tam multae, ut, dum vitare errorem velis, fere in alios errores incidas, idque eo facilius, quo doctius et acutius te rem explanare putes. Evenire id videmus etiam iis in fabulis, quae explicatu facillimae sunt: qualis est ea, cuius exemplo quae dixi comprobare volo, quae est de Atlante Iapeti filio. De ea fabula quum alii scripsere, tum copiosissime explicavit C. H. G. Voelckerus in eo libro, quem de rebus Iapetidarum conscripsit. Quorum virorum industria etsi propemodum exhausta videbantur, quae dici de ista re possent, tamen non acquiescens in his M. G. Hefflerus, edita in Diurnis scholasticis a. MDCCCXXXII. fol. 74—76. dissertatione, novo quodam modo de Atlante disputare est conatus. Quod ille ingeniose quidem, sed tamen ita fecit, ut eius disputatio neque ordine iusto procedere, et in quibusdam iisque praecipuis partibus vehementer vacillare videatur. Magni facio eum virum, quum propter ingenium atque eruditionem, tum ob ingenuitatem animi, non reformidantis nubem missam facere, ubi Iunonem non esse intellexit. Eo minus vereor, ne ei, si me dissentientem ab se invenerit, aliud quam verum quaesivisse videar.

Ac recte ille quidem ab nominis explicatione proficiscitur, quo non eum qui corpore suo aliquid sustineat, sed qui animo labores et mala patienter ferat, significari ostendit. Inde, postquam de fratribus Atlantis Menoetio, Prometheo, Epimetheo dixit, statim quaerit, qui factum sit, Atlas ut simul et caelum et terram sustinere crederetur, inclinatque eo, ut putet prius imaginibus repraesentatum Atlantem esse, quam de eo cecinissent poetae: quippe artifices, qui effigie aliqua ostendere animum gravia patienter ferentem vellent, fecisse figuram homi-

nis, qui pondus longe gravissimum, caelum ac terram, gestaret. Id vereor ut multis persuadeat. Nam etiam si fingendi artem multo ante Homerum ad aliquam perfectionem adductam esse concedimus, tamen illud non solum a simplicitate antiquitatis, verum etiam ab animi humani natura abhorret, ut, qui simulacra faciant, non quae ante oculos habeant imitentur, sed res corporis et figurae expertes, quae sola cogitatione comprehendi possint, per imagines declarare studeant. Imagines enim imitationes sunt rerum quae oculis cerni possunt: quas res si quis non id ipsum quod sunt, sed aliud quid significare vult, aliunde cognitum sit necesse est quid significent. Quas Aegyptii aut Indi aliaeve barbarae gentes deorum formas belluinis capitibus aut multis brachiis aut aliis modis distortas finxerunt, non potuerunt prius fingere, quam aliunde acceperant quid indicarent istae formae. Alioqui, qui adspexissent, monstra potius, quam imagines deorum esse credidissent. Eadem apud Graecos ratio fuit imaginum. Mulieris effigiem anguibus cinctae et facem tenentis quivis praestigiatricem potius quam Furiam esse putaret, nisi qui ante didicisset, quid angues isti et taeda sibi vellent. Ita Atlantis quoque imago, quocumque modo fingatur, nihil est nisi effigies hominis ingens onus sustinentis. Aliud quid ea imagine significari, nisi aliunde acceperis, nunquam intelliges: atque etiam si suspiceris, minime omnium in illud incides, quod voluit Heffterus, animi in malis patienter ferendis aequitatem tali imagine declarari. Debet enim inter signa et id quod significatur istis signis aliqua similitudo intercedere: quae in ista imagine nulla est. Robur enim et validas vires corporis, non patientiam animi, praesertim aequi et tranquilli, cernere videmur. Quare talem indolem qui Atlantis specie adumbrasset, etiam ineptam fecisset imaginem.

Apertum esse ex iis quae dixi puto, Heffterum, quum effigiem Atlantis fundamentum disputationis suae fecit, ipsum sibi viam recte explicandae fabulae praeclusissse. Nec sane latuisse eum videtur, imaginem facere non posse, nisi qui sciret cuius facere vellet imaginem: quapropter ab nominis explicatione est exorsus: sed eo magis ut de Atlante prius quam de eius imagine explicaret, imago ipsa eum debebat admonere, quippe quae nec proderet quid significaret, quod autem ipse volebat ne posset quidem significare. Est vero etiam nominum explicatio, quam protulit, ratiocinationibus nec firmis nec

rectis confecta. Iapeti nomen negat deiectionem significare, putatque, uti Hyperion motum super terra designet, sic Iapetum appellari motum in superficie terrae. At nec verbi nec rei naturae hoc convenire videtur: non verbi, quia *ἰάπτειν*, *ἴπτειν*, *ἶπος* propriam deiiciendi, detrudendi, premendi notionem continent; non rei, quod singula Titanum paria praeter maximum et minimum natu cognatas et inter se oppositas vires significant, ut, si id quod in altum tollitur Hyperionis nomine signatum est, Iapeti appellatio contrarium indicare motum debeat. Sed esto, quod posuit: nullo pacto concedi poterit, quod dicit, inventorem fabulae sic esse philosophatum, ex communi rerum in terra motu ortum esse motum eum, qui proderet appetitionem animi humani, quae esset quieta patientia et demissa subiectio. Nam quomodo ex motu in terra motus prodire potest animi? quomodo motus id esse, quod quiescit et sine motu est? Si aliqua ratione hoc vellet efficere, potius illam quam repudiavit interpretationem adscisceret. Nam quae deiiciuntur et deprimuntur, quiescere et sine motu jacere consentaneum est. Non magis probari potest ratiocinatio, qua matris Clymenae appellationem explicat, Eam sine dubio a *κλύζειν* dictam esse ait: nempe ut haberet, quo in mari collocare Atlantem posset. At non a *κλύζειν*, sed a *κλύειν* vocatam esse, aperte nominis forma monstrat. Nam etsi cognata fortasse sunt *κλύειν* et *κλύζειν*, tamen usu ita discedunt haec verba, ut, quum *κλύειν* de solo auditu dicatur, formatum ex eo nomen non possit ad aquam referri, nec, si posset ad aquam, continuo etiam maris inesset significatio. Sed concedamus haec quoque omnia: at nulla ratione in eo assentiri poterimus, quod ex his colligit, totius fabulae hanc esse sententiam, motum in terra et motum in mari procreasse illum animi motum in appetendi facultate. Nam neque intelligi haec possunt, nec quem dicat motum apparet, quum Atlantis naturam atque indolem potius in reprimendo coercendoque motu atque appetitione animi positam esse velit.

Quod supra dicebam, ipsum sibi virum eruditissimum viam recte explicandae fabulae praeclusisse, magis etiam apparebit eo, quod, quum illa quae commemoravimus fundamenta posuisset, induci se passus est ut sperneret quae omnium minime erant spernenda. Non ego quidem renovari velim illud merito a quibusdam vituperatum, fun-

dum cuiusque fabulae apud antiquissimum auctorem inveniri: sed tamen antiquissimos primo, deinceps autem qui hos sequuti sunt audiendos puto, quia credibilius est, quo vetustior sit testis, eo simpliciora, eoque minus aut additamentis exornata, aut interpolationibus deformata, aut interpretandi conatibus corrupta tradi. De eo aliter statuere Hefflerum video. Quum Hesiodum, inquit, vera fabulae sententia, quam ita enarrat, ut per se aperta sit, non prorsus latuisse videatur, Homero eam plane non intellectam fuisse necesse est: nihil enim ille nisi externam speciem cognitam habuit, putavitque Atlantem secundum fabulam istam vel hominem vel quamdam homini similem naturam esse, quae terram et caelum sustineret: idque ei mirum, singulare, adeoque absurdum videri oportuit: nam relicta communi opinione, quae ab Atlante ipso caelum terramque sustineri vult, cecinit illa, quae sunt in primo libro Odysseae. Duplex in his error est. Primum enim, quum Hesiodo fabulas enarrare propositum fuerit, Homerus autem, opportunitate oblata, tantummodo parte fabulae sit usus; nulla caussa est, quare quis contendat, sententiam fabulae ignotam fuisse Homero. Credo quidem ego quoque, ignotam ei fuisse: verum non propter illa, quae de ea refert, sed quod nihil est, cur eum minus credulum quam omnem Graeciam fuisse existimem: quin, si vel maxime perspectum habuisset quid ista fabula significaret, dissimulare id poetam epicum oportebat. Deinde vero quo iure tandem dicit Hefflerus discessisse Homerum a communi opinione? Unde enim compertum habet quae tum communis opinio fuerit, quum praeter ipsum Homerum nullus testis exstet, qui quid alii isto aevo opinati sint aperiat? Nimirum ita videtur argumentatus esse, communem opinionem esse eam debuisse, quae aptam et facilem interpretationem admitteret, qualem esse eam, quae sit ab Hesiodo prodita. Non dicam, quod quivis videt, potuisse recentiore aevo, quae rudior antiquitas minus credibilia invenisset, aptius doctiusque exornari: illud quaeram, repugnentne quae Homerus narravit illis quae exposita sunt ab Hesiodo, an forte etiam melius cum iis conciliari, quam ipsa Hesiodi descriptio, possint. Nam hoc tamen omnium primum esse debet, ut videamus quid dixerit Homerus. Fecit id quidem etiam Hefflerus, sed vereor ne non eo modo, quo debebat. Primo Homerum contendit terram simul cum caelo fecisse ab Atlante teneri, pro-

pterea quod id diserte particulis copulativis indicaverit *γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν* dicens. At hoc istis particulis nullo modo efficitur, sed demonstrandum erat ex verbo, quod est adiectum. Deinde communem, quam ipse vocat, opinionem sic ab Homero mutatam esse ait, ut non ab ipso Atlante caelum terramque sustineri voluerit, sed a quibusdam longis columnis, quas Atlas solus custodiat: solum enim custodire dici his verbis, *αὐτὸς ἔχει.* Haec quoque minime vera interpretatio est. Nam neque *αὐτὸς solum* significare potest, quia sic referretur ad alios, quorum nullus, quum omnes deberent, id fecisset, neque *ἔχειν* est *custodire*, nisi ubi nihil potest aliud significare. Si licet pro arbitrio verba contra usum interpretari, nihil est quod non possit effici. Porro negat longas istas columnas inter caelum et terram debere positas putari. Quorsum enim, inquit, longae columnae, quae caelum et terram distineant, si caeli cavum extrema orbis terrarum ora fultum est? Sane, si talem esse caeli formam Homerus credidit. At quis hoc docuit? Nam interpretes quod excogitarunt, nisi ostenderint ab ipso dictum Homero esse, sibi habeant. Quin sicubi tale quid dixisset Homerus, non sequeretur, alibi non potuisse columnas suppositas caelo dici. Nam profecto ridiculi sunt, neque aut Homericam poesin cognitam habent, aut omnino quid poesis sit sciunt, qui vel caelum Homericum vel Homericam terrae figuram in tabulis pingunt. Quae nec vidit quisquam nec videre potest, fingunt poetae prout quoque loco apta esse arbitrantur. Quid vero Hefflerus de istis columnis? Immo, inquit, sub terra sunt, pedem in fundo maris quod sub terra est habentes, summa sui parte autem solum terrae fulcientes, quia obsistere debent, ne terra et caelum in mare decidant. Idque clare apparere censet ex eo, quod dicat poeta: *ὅςτε θαλάσσης πάσης βένθεα οἶδε.* Nam quomodo Atlantem profunda maris nosse, nisi esset in mari? Itaque cum ipso etiam columnas ibi esse. Mannerti haec interpretatio est, quam sequitur Hefflerus, sed augens eam mari subterraneo, quod confinxisse videtur ex iis, quae Letronnius de Neptuno disputavit. Quod ait, iam veteres ad istum modum verba Homeri esse interpretatos, Eustathium afferens p. 1390, 63. id quale sit existimabunt, qui hoc illum dicere viderint: *ὅτι ἐν τῷ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἔχουσιν ἐλλέλειπται ἡ ἀνὰ πρόθεσις. ἔστι γὰρ ἀντὶ τοῦ ἀνέχουσι καὶ ἀναβαστάζουσι.* Quod si frustra in his quaesiverint id, quod dicit

Hefflerus, potius nescivisse Eustathium, quomodo rem satis expediret, intelligent ex illis, quae scripsit p. 1389, 55. *καὶ κίονας ἔχει, αἳ γῆν τε ἐπὶ μέσον συνέχουσιν καὶ οὐρανὸν ἀνέχουσιν.* Porro Hefflerus, quum de mari isto subterraneo sibi persuasisset, absurdam esse censuit Buttmanni in Lexilogo II. p. 219. sententiam, qui distineri columnis caelum et terram putaverit. Hoc vero non est refutare, sed reiicere, quod cum iis, quae quis ipse confinxerit, non congruat, et quidem quia non congruat. At ex fictis non possunt argumenta peti, sed petenda sunt ex demonstratis. Demonstratum vero nihil istorum est. Immo, ut Buttmannus, iam veteres censebant. Quae in Aristotelicorum de caelo liborum II. c. I. dicta sunt, disertius exponuntur his verbis in Metaphys. IV. 23. *ἔτι τὸ κωλῦον κατὰ τὴν αὐτοῦ ὁρμήν τι κινεῖσθαι ἢ πράττειν ἔχειν λέγεται τοῦτο αὐτό, οἷον καὶ οἱ κίονες τὰ ἐπικείμενα βάρη, καὶ ὡς οἱ ποιηταὶ τὸν Ἄτλαντα ποιοῦσι τὸν οὐρανὸν ἔχειν ὡς συμπεσόντ' ἂν ἐπὶ τὴν γῆν, ὥςπερ καὶ τῶν φυσιολόγων τινές φασιν.* Ipse igitur Hefflerus illud *ἀμφὶς ἔχουσιν* sic interpretatur, ut per totam orbicularem oram istius subterranei maris columnas positas esse velit, quibus sola terrae sint superimposita. Idque omni dubitatione maius esse ait. Addit autem, hoc quoque iam a doctis quibusdam antiquorum interpretum esse propositum, iterum auctorem adhibens Eustathium p. 1389, 63. Quid vero ille? Plane aliud: de axe mundi scribit: *ἄλλως δὲ εἰς δύο διαιρούμενος κατά τε τὸ ὑπόγαιον αὐτοῦ καὶ τὸ ὑπέργειον, κιόνων πέμπει τινὰ ταύτην φαντασίαν, ἐφ' αἷς κίοσιν ἡ γῆ τε οἷον βέβηκε καὶ οὐρανὸς ὑπανέχεται.* Dicetur infra de his verbis. Apparet iam ex istis, quas in orbem positas fingit columnas, cur *ἔχει* voluerit significare *custodit*. Nam sane tenere Atlas non poterat columnas, quarum oppositae quaeque duae totius orbis diametro inter se distarent. Omitto quae de aliorum erroribus adiecit: illa vero non possum praeterire, quibus concludit hanc partem disputationis suae. Quoniam, inquit, Homerus aperte sententiam fabulae et vim symbolicam non habuit cognitam, existimari potest, originem simulacri, quo tranquilla patientia repraesentaretur, ad tempora satis a poetae aevo remota esse referendam, eoque totam illam fabulam insigne ac valde memorabile momentum habere ad cognoscendam indolem temporum ante Homerum. Haec vero ratiocinatio per se ipsa corruit: nam nec demonstratum est aut demonstrari potuit, ignotam Homero fabulae sententiam fuisse, neque ostensum est Atlantis effigie aliquam animi patientiam vel tranquillitatem repraesentari; immo quae ei rei ostendendae allata sunt, talia esse vidimus, ut nec per imaginem istam cuiquam in mentem venire possint, et ipsa inter se pugnent; nec denique argumenta prolata sunt, quibus efficeretur, ut simulacra Atlantis antiquiora fabulis poetarum fuisse aut esse potuisse crederemus. Postremo, inquit, ista quam Homerus fecit fabulae mutatio documentum est eius rationis, qua poeta ille antiquas fabulas pro suo iudicio refingere consueverit. Hoc quoque aperte falsum est, quia an aliquid mutaverit Homerus in Atlantis fabula nec scimus nec scire possumus.

Patere ex his credo, hoc modo nec de Atlante disputandum fuisse, neque ullam aliam veterem fabulam esse explicandam. Accidit viro eruditissimo, quod in multis animadvertere licet mythologis atque archaeologis, ut ipsi aliquid pro lubitu suo confingant, idque deinde pravis interpretationibus, non recte intellectis testimoniis, male conclusis rationibus defendere studeant. Quod si hoc modo nihil proficitur, quanam alia incedendum via erit, ut quid veri simillimum sit inveniamus? Ea, arbitror, quam ipsa rei natura et ratio monstrat, ut primo videamus, quid antiquissimus auctor tradiderit. Is igitur Odyss. I. 48. haec habet:

ἀλλά μοι ἀμφ' Ὀδυσῆϊ δαΐφρονι δαίεται ἦτορ,
δυςμόρῳ, ὃς δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχει,
νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, ὅθι τ' ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης·
νῆσος δενδρήεσσα, θεὰ δ' ἐν δώματα ναίει,
Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅς τε θαλάσσης
πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
μακράς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.

Insulam memorat, quam alibi vocat Ogygiam. Id nomen recte videntur sic interpretari, ut ex primigenio ovo nata atque inde antiquissima, quorum obscurata memoria sit, significet. Insula ista in medio mari est. Id ipsi quidem Homero mare mediterraneum est, in incognita patens: iis, a quibus eam famam accepit, utrum idem mare, an pontus Euxinus fuerit, nihil ad rem facit: mare intelligebatur magnum atque immensum, cuius in medio, longe ab habitatis oris, insula esset. Quae eam insulam tenet nympha, Calypso dicta est, quod, sicut ipsa in occulto hominibus loco habitaret, ita occultos teneret, qui

ad eam essent delati. Pater nymphae Atlas est, quem labores tolerantem significari patet. Labor indicari videtur eo, quod omnia maris profunda cognita habeat, teneatque caeli et terrae columnas. Non ficta haec ab Homero, sed accepta ab antiquioribus esse, res ipsa prodit. Nam ipse si invenisset, descripsisset ita, ut plane intelligi possent. Quod quum secus sit, apparet rettulisse eum, quae vetustis fabulis narrata etiam non intellecta pro veris habebantur. Quorum ratio si non statim et primo adspectu patet, non sunt continuo pro absurdis numeranda, sed quaerendum, quid sibi voluerint qui ea invenerunt, sive id ex ipsis verbis cognosci potest, sive petendum est ab iis, qui post Homerum res illas attigerunt. Ac primo, quum Atlas dicatur omnia profunda maris cognita habere, quid simplicius est, quam, quum nomen Atlantis mala sufferentem indicet, hominem cogitari in toto mari ita iactatum, ut ubi magis, ubi minus profundum esset mare, fuerit expertus? Convenit cum hac interpretatione, quod *ὀλοόφρων* appellatur Atlas. Nam veterum quorumdam argutias, qui ineptissime et contra linguae rationem *ὀλοόφρονα* voluerunt *ὀλόφρονα* esse, quasi id *πάνσοφον* significare posset, hodie nemo non rideat. Nitzschium autem vehementer miror, qui novo invento *οὐλόφρονος*, quod esset *πυκινόφρονος*, scribendum censuit. Neque in Atlantem hoc quadrat, nec convenit Homero. Vt Aeetes, ut Minos *ὀλοόφρονες*, quod est perniciosa meditati, ab Homero appellantur, sic etiam Atlas, fragilem truci committens pelago ratem: nautam enim significari res ipsa monstrat, explicavitque copiose Voelckerus. Eiusdem in simili nomine perversitatis rei sunt, quibus *δαΐφρων* non semper bellicosum et fortem, sed aliquando, a *δαῆναι* deductum, quod fieri nequit, prudentem significare visum est. Buttmannus, qui id in Lexilogo I. p. 201. defendit, aliter iudicaturus erat, si cogitasset Anticleam Odyss. XV. 356. fortem dictam esse, quod suspendio vitam finivisset, Alcmenam autem a Pindaro ut matrem heroum: Aeschylum vero in Sept. ad Theb. v. 920. si ad metra attendisset, scripsisse vidisset *δαϊόφρων*. Ille igitur Atlas quid porro agit? Longas caeli terraeque columnas tenere dicitur ipse. Incertum est, quid *ἔχει* significet, cuius verbi multiplex potestas est; non apparet, cur *αὐτὸς* sit additum; dubium est, quae sint illae caeli terraeque columnae; denique nescimus *ἀμφὶς ἔχουσιν* quid sit, quod per ipsa verba quidem et *disti-*

nent significare potest, et *circumcirca tenent*, et *tenent ab utraque parte.* Si *circumcirca* interpretamur, aut plane in nihilum dissolvitur, aut portentosa fit imago Atlantis, tamquam alicuius centimani, quoniam *ἔχει*, ut supra dictum, non potest *custodit* significare. Paullo humanior, sed tamen immanis species est, si *ab utraque parte* tenere creditur. Denique si *distineri* caelum et terram dici putamus, recta quidem et simplex imago est, sed non apparet cur columnas fundamentum habentes firmissimum nulloque indigentes adminiculo tenere Atlas, atque adeo ipse tenere sit dictus. Et tamen haec interpretatio veri simillima est, non solum propter simplicitatem rei: nam ex eo potius, quod in oculos incurreret, ortam esse fabulam, quam quod excogitandum aliquod terrae caelique fulcrum videretur, credibile est; sed etiam quod qui proximus ab Homero est Hesiodus hanc est rationem sequutus: qui sic descripsit Atlantem, ut id, quod obscurum erat in Homeri verbis, planissime intelligi ac certa rei imago mente concipi posset, Theog. v. 517.

Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων,
ἑστηώς, κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτῃσι χέρεσσιν.
ταύτην γάρ οἱ μοῖραν ἐδάσσατο μητιέτα Ζεύς.

et iterum v. 746. de Noctis sedibus loquens:

τῶν πρόσθ' Ἰαπετοῖο πάϊς ἔχει οὐρανόν εὐρύν,
ἑστηώς, κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτῃσι χέρεσσιν,
ἀστεμφέως, ὅθι Νύξ τε καὶ Ἡμέρη ἆσσον ἰοῦσαι
ἀλλήλας προςέειπον, ἀμειβόμεναι μέγαν οὐδόν.

Declaratus in his est locus, ubi stet Atlas, conveniens cum situ insulae, quam Calypso habitabat, in extremis ad solis occasum oris; declaratum est etiam, quod Homerus dixit *αὐτὸς ἔχει*, sed ita, ut removerentur, quae imaginem corrumpere videbantur columnae. Quod si reliqua, quae de Atlante eiusque fratre Menoetio apud Hesiodum sunt consideramus, explicari videntur posse quae ab Homero dicta sunt omnia, ostendique quid ab illis qui ei auctores praeiverant fuerit traditum. Iapeti et Clymenae, Oceani filiae, progenies sunt Atlas et Menoetius. De Iapeto supra dictum. Clymena, quam Latine Cluentiam vertimus, quid est quod facilius significare possit quam famam de remotissimis quibusdam in mari magno regionibus? Huius igitur

et, quem rectius Deiicem quam, ut olim, Mersium vocari intelligo, Iapeti progenies quum isti dicuntur, quorum nomina sunt Atlas et Menoetius, simplicissimum est, ut longinquas regiones, de quibus famam acceperant, petituri per maria iactati esse dicantur, et quidem diversis ingeniis praediti, alter temeritate ferox, qui dictus est Menoetius, quod nomen Heffterus inconsiderate cum *μενοινᾶν* cognatum putavit. Meminisse iuvat Philoetii, qui bubulcus Vlixis fuit, et duorum Menoetiorum, quorum alter, Ceuthonymi filius, memoratus est Apollodoro II. 5, 12, 7. alterum, Actoris filium, patrem Patrocli, multi celebrarunt. Uterque adversam fortunam expertus est, ita ut nomen illud eum significare videatur, qui maneat nec reformidet asperam sortem: quare Petiletum verti in dissertatione, quae est de mythologia Graecorum antiquissima. Ob eam temeritatem Hesiodus fratrem Atlantis *ὑπερκύδαντα* appellavit, deque sorte eius sic rettulit:

ὑβριστὴν δὲ Μενοίτιον εὐρύοπα Ζεὺς
εἰς ἔρεβος κατέπεμψε, βαλὼν ψολόεντι κεραυνῷ,
εἵνεκ' ἀτασθαλίης τε καὶ ἠνορέης ὑπερόπλου.

Itaque hanc intelligimus fabulae sententiam esse, de duobus fatribus, qui fama longe dissitae regionis moti maria tentaverint, alterum temere iactatorem perisse, alterum forti et constanti perseverantia ut perveniret quo cupiebat esse assequutum. Apparet iam quid sit, quod dixit Homerus *αὐτὸς ἔχει:* tenuit ea loca ipse, non etiam frater Menoetius. Sed quae loca? Extrema terrarum, et quidem, ut Hesiodus ait, *πρόπαρ Ἑσπερίδων*, quod versus occidentem ad terras sola fama cognitas pateret mare. Unde vero altae columnae? Multo facilius ac simplicius, ut ego quidem existimo, ad montis Atlantis originem perveniri licet, quam Hefftero placuit, qui de rerum natura philosophantibus hoc tribuit, ut fabulosa antiquitatis commenta in res naturales converterint. At quum ipse fateatur montes columnas caeli visos esse, afferatque Aetnam a Pindaro *οὐρανίαν κίονα* vocatam, sicuti montem Atlantem Herodotus IV. 184. ab accolis caeli columnam dictum esse refert, quid opus est a philosophantibus petere, quod ante oculos erat etiam indoctis? Immo, nisi me fallit opinio, illud ipsum Pindari verbum originem prodit illarum quibus caelum a terra distineretur columnarum. Ignota Homero Sicilia erat eiusque mons ignivomus: sed quum de vicinis tamen regionibus aliquid inaudivisse videa-

tur, quid credibilius est, quam Aetna, ex qua fumus tamqnam columna ad caelum assurgit, ex longinquo conspecta aliquam famam ut in extremo mari caelum fulcientis columnae esse circumlatam? Ibi ergo, ubi tales columnae caelum sustinerent, ipsi orbis terrarum termini esse credebantur: ad quos qui pervenisset constantia sua et fortitudine, tenere istas columnas usitatissimo verbi significatu dicebatur.

Haec quidem tam plana atque simplicia sunt, ut non videatur de veritate huius explicationis dubitandum esse. Neque vero mirari debemus, perseverantiae proposito suo potitae iactationisque temeritatem suam pernicie luentis exempla a navigantibus esse petita: nam aliquo tamen facto declarari illa sententia debebat, nec facile aptius quidquam inveniri poterat, quam quod et usu pervulgatum et maximis cum periculis fortitudinem et constantiam sibi postulantibus, iactationem autem temerariamque audaciam adspernantibus esset coniunctum. Sed explicatis quae Homerus atque Hesiodus de Atlante tradiderunt, difficilius dictu est, quid senserit Aeschylus. Is Atlantis mentionem fecit in Prometheo duobus locis, primo v. 347.

οὐ δῆτ', ἐπεί με καὶ κασιγνήτου τύχαι
τείρουσ' Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
ἕστηκε, κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
ὤμοις ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

Videtur hic quae Homerus quaeque Hesiodus dixerant coniunxisse, quumque in caeteris fere Hesiodum sequeretur, columnas accepisse ab Homero, quem *ἔχει κίονας αὐτὸς* dicentem significare crederet, columnas non solo aliquo, sed humeris ipsius Atlantis sustineri. Magis etiam cum Hesiodo consentire Aeschylum voluerunt Blomfieldius, Nitzschius, Letronnius, *ἕστηκε κίων* contra libros et parum eleganter scribentes: quam scripturam, tamquam si vulgata esset, posuerat P. Petitus in Obss. misc. III. 24. ex Erasmi, ut videtur, Adagiis in *inconcussa columna:* sed Petitum refutavit Abreschius. Verba Aeschyli, commemorata etiam a Plutarcho in libello de facie in orbe lunae p. 923. C. (T. IX. p. 652. ed. Reisk.) dubium relinquunt, unam an duas columnas intelligi voluerit. Singularem agnovit Eustathius p. 1389, 61. *διὸ καὶ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ κίονα εἶπεν ἑνικῶς, καὶ οὐ κίονας.* Scilicet axem caeli terraeque intelligebat, quam interpretationem commemorarunt etiam scholiastae Aeschyli ad v. 347. et 428.

et Hesiodi ad Theog. 509. Quin Hesychius ipsum Atlantem pro axe
dici adnotavit. Et sane apud Aeschylum non video quid aliud relin-
quatur, si imaginem iustam effici volumus. Et in hanc sententiam
Virgilius Aen. IV. 481. scripsit:

ubi maximus Atlas
axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Quae verba posuit etiam in VI. 797. nisi quod ibi *caelifer* Atlas est.
Scilicet axem, ut Eustathii verbis utar pag. 1389, 60 intelligebant
εὐθεῖαν ἀσώματόν τινα ὄντα καὶ ἀόρατον, συνεκτικὴν τοῦ παντός. Ea
linea quoniam et per caelum et per terram transit, recte et sine repu-
gnantia Atlantis in terra stantis humeros premere, in iisque torqueri
videbatur. Id est illud Eustathii, quod supra vidimus alio translatum
ab Hefftero: *ἄλλως δὲ εἰς δύο διαιρούμενος κατά τε τὸ ὑπόγαιον αὐτοῦ
καὶ τὸ ὑπέργειον, κιόνων πέμπει τινὰ ταύτην φαντασίαν, ἐφ' αἷς κίοσιν
ἡ γῆ τε οἷον βέβηκε καὶ οὐρανὸς ὑπανέχεται.* Nam in sphaera axis per
caelum obliquus transiens, media sui parte terram secat, eoque ipse
in duas partes, quas quasi columnas esse dicit Eustathius, dispescitur,
de quibus Virgilius Georg. I. 242.

hic vertex nobis semper sublimis, at illum
sub pedibus nox atra videt manesque profundi.

Aristoteles in libro de motu animalium cap. 3. *οἱ δὲ μυθικῶς τὸν
Ἄτλαντα ποιοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς ἔχοντα τοὺς πόδας δόξαιεν ἂν ἀπὸ δια-
νοίας εἰρηκέναι τὸν μῦθον, ὡς τοῦτον ὥςπερ διάμετρον ὄντα καὶ στρέ-
φοντα τὸν οὐρανὸν περὶ τοὺς πόλους. τοῦτο δ' ἂν συμβαίνοι κατὰ λόγον
διὰ τὸ τὴν γῆν μένειν.* Altera apud Aeschylum in Prometheo com-
memoratio est v. 425. hoc modo in libris scripta:

μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
δαμέντ' ἀδαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰςιδόμαν θεῶν
Ἄτλανθ', ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος
κραταιὸν οὐράνιον τε πόλον
νώτοις ὑποστενάζει.

Ὑποστεγάζει scribendum esse alio loco dixi. Aperte vero corruptum
est *κραταιόν*, quumque credi non possit, in eadem tragoedia dissen-
sisse ab se ipso Aeschylum, terrae mentionem in corrupto isto voca-
bulo factam suspicari debemus, sive *τὸν γάϊον*, sive *καταγάϊον* scripsit.

Ad eum locum scholiastes Ms. *Ἄτλας δὲ ἀλληγορικῶς ὁ ἄξων ἐστί, δια-
κρίνων τὸ ὑπὸ γῆν καὶ ὑπὲρ γῆς ἡμισφαίριον.* Et idem paullo inferius:
*κίονες δὲ οὓς ὁ ἄξων οὗτος κατέχει, ὁ βόρειος πόλος ἐστὶ καὶ ὁ νότιος οἳ
γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι καθ' Ὅμηρον.* Comparari cum his
possunt quae in Aristotelico libro de mundo c. 2. sunt exposita.

Quae de Homero, de Hesiodo, de Aeschylo diximus non modo longe aliam, quam Hefftero visum est, fabulae historiam aperiunt, sed eam etiam multo veriorem, quia quibus caussis deinceps expolita sit patet apertissime. Quam Homerus fabulam acceperat, ea illum, qui Atlas vocaretur, strenuo labore maria permensum ea loca tenuisse dicebat, ubi caelum columnis super terra fultum esset. Hesiodus, quoniam non apparebat quomodo ipse Atlas tenere istas columnas dictus esset, demptis columnis capiti et manibus Atlantis caeli pondus impositum fecit, memorans simul parentes, fratres, locum, ubi staret Atlas. Aeschylus, quum in plerisque Hesiodum sequeretur, tamen reverentia Homeri, quem crederet rerum caelestium scientia accurate instructum, doctiore interpretatione adhibita columnas pro axe accepit, quem humeris et dorso versaret Atlas. Inde idem statuerunt alii, veluti Virgilius. Non ita Ibycus, quem quum scholiastes Apollunii Rhodii ad III. 106. caeli columnas *ῥαδινούς*, quod esset *εὐμεγέθεις*, dixisse testetur, videtur ille de veris et quasi arte quadam factis columnis cogitasse.

Venio ad imagines Atlantis. Eas non ante factas esse, quam poetae de Atlante cecinissent, supra demonstratum est. Quaesitum est autem, quo modo repraesentatus fuerit Atlas. Non scriberet hodie Heffterus, quae scripsit §. 6. de opere illo, quo Letronnius Atlantis figuram exhiberi putabat. Non enim illam Atlantis effigiem esse, docte ostendit Radulphus Rochettus in dissertatione, quam de imaginibus Atlantis superiori anno edidit. Nec tamen inepte aut sine iudicio rem gesserat Letronnius, quem adverterant quae duobus locis tradidit Pausanias, quod ea explicatu perdifficilia viderentur. Nam fingendi pingendique haec necessaria lex est, ne fingatur pingaturve, quod aut fingi pingive nequeat, aut fictum pictumve rationi repugnet. Atqui Atlantis labor si effigie repraesentandus est, ipsius quidem Atlantis figura, quoniam hominis est, nihil continet, quod turbare artificem possit. Sed quae duo alia accedunt, terrra et caelum, quomodo fingi

pingive possunt, quum et totam terram et omne spatium caeli significare artifex debeat? Apertum est, nihil relinqui, nisi ut, quod ipsum non potest ostendi, per signa satis clara indicetur. Quum autem duplex sit de Atlante narratio, altera Hesiodi, quae tantummodo caelum ei impositum tradit, altera illorum, qui eum simul et caelum et terram versare dixerunt, Hesiodea illa aptissima et commodissima imaginibus est. Talem igitur cernimus Atlantem illa in pictura, quam in vase antiquo repertam edidit Rochettus, plane sic, ut eum descripsit Hesiodus, stantem et capite ac manibus globum stellatum sustinentem. Videturque eadem specie fuisse Olympiae in thesauro Epidamniorum, de quo scripsit Pausanias VI. 19, 8. *ἔχει πόλον ἀνεχόμενον ὑπὸ Ἄτλαντος.* Scholiastes Euripidis ad Orest. 970. quum scripsit, *ἡ μὲν ἱστορία λέγει τὸν Τάνταλον ἀνατεταμέναις χερσὶ φέρειν τὸν οὐρανόν· νῦν δὲ ὁ Εὐριπίδης ἰδίως τὸν ἥλιον ἐπηρτῆσθαι λέγει αὐτῷ, διάπυρον ὄντα μύδρον*, nescio an suo quodam errore Atlantem cum Tantalo confuderit. Saxum Tantalo impendens plurimi scriptores memorarunt, indicati a Porsono ad Orest. 5. caelum autem ab eo sustineri nullus dixit. Credere videntur Völckerus et Creuzerus, quem v. in tertia editione Symbolices fasc. I. p. 9. Nihil in illa quam Hesiodus descripsit Atlantis imagine est, quod exprimi non potuerit; nihil, quod rationi repugnet. Quid vero dicamus, si caelum simul cum terra tenens fingendus sit Atlas? Nam ubi stabit, si terram, in qua stare debebat, ipse sustinet, aut, si stat in terra, quomodo sustinere poterit id, quo sustinetur ipse? Et tamen in templo Iovis Olympii picturae Panaeni fuerunt, de quibus Pausanias V. 11, 5. sic testatur: *ἐν δὲ αὐταῖς ἔστι μὲν οὐρανὸν καὶ γῆν Ἄτλας ἀνέχων· παρέστηκε δὲ καὶ Ἡρακλῆς ἐκδέξασθαι τὸ ἄχθος ἐθέλων Ἄτλαντος.* Patet haec apud Hesperides agi in solo terrae, et tamen terram sustinere dicitur Atlas. Idem Pausanias arcam Cypseli describens V. 18, 4. *Ἄτλας δὲ ἐπὶ μὲν τῶν ὤμων κατὰ τὰ λεγόμενα οὐρανόν τε ἀνέχει καὶ γῆν, φέρει δὲ καὶ τὰ Ἑσπερίδων μῆλα· ὅςτις δέ ἐστιν ὁ ἀνὴρ ὁ ἔχων τὸ ξίφος καὶ ἐπὶ τὸν Ἄτλαντα ἐρχόμενος, ἰδίᾳ μὲν ἐπ' αὐτοῦ γεγραμμένον ἐστὶν οὐδέν, δῆλα δὲ ἐς ἅπαντας Ἡρακλέα εἶναι· γέγραπται δὲ καὶ ἐπὶ τούτοις·*

Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει, τὰ δὲ μᾶλα μεθήσει.

Haec non sine caussa adverterant Letronnium, quod non veri simile videretur, ut Pausanias tam diserte caelum et terram nominasset, nisi

expressum vidisset utrumque in operibus illis. Itaque sollerter quidem Letronnius symbolica quadam ratione terram simul cum caelo significatam coniecerat: etsi, quam putabat huiusmodi effigiem esse, ei postea crepta est. Neque vero omnino crediderim, si quis per signa caelum et terram pingere voluisset, disci eum figuram, cui hemisphaerium caeli impositum esset, pinxisse. Sed hanc quaestionem, de qua est ab Rochetto dictum, mistam facio, ne longius quam pro huius scriptionis consilio digrediar. Rochetti de Pausaniae locis sententia est, quam posuit p. 9. non nimis verba esse premenda, quod quum ille *οὐρανὸν καὶ γῆν* dixerit, communem usum sequutus mundum voluerit intelligi. Non infitior speciosum hoc esse, praesertim quum qui in arca Cypseli adscriptus versus est solius caeli mentionem faciat. Sed tamen, nisi fallor, alia ratio inveniri potest, qua et Letronnio et Rochetto satis fiat. Nam si nec veri simile est ut terram nominaverit Pausanias, nisi significata aliquo modo in pictura fuisset, nec credi potest aliud quid quam globi figuram ab Atlante sustineri, relinquitur, ut Panaenus ille non globum caelestem, sed sphaeram pinxerit, ideoque etiam Pausanias, quoniam sphaera cum caelo terram quoque continet, recte utrumque nomen posuerit. Aliter sentio de arca Cypseli, a qua quum propter vetustatem monumenti, tam versus adscripti testimonio aliena videtur sphaerae effigies. Ac nescio an Pausanias ipse indicium faciat, quum scribat: *Ἄτλας ἐπὶ τῶν ὤμων κατὰ τὰ λεγόμενα οὐρανόν τε ἀνέχει καὶ γῆν.* Neque enim ex his verbis id quod Letronnius collegerim, artificem ea quae a poetis tradita essent expressisse: etsi hanc minime falsam interpretationem esse fateor: sed, si totam sententiam consideramus, quae hisce verbis perscripta est: *Ἄτλας δὲ ἐπὶ μὲν τῶν ὤμων κατὰ τὰ λεγόμενα οὐρανόν τε ἀνέχει καὶ γῆν, φέρει δὲ καὶ τὰ Ἑσπερίδων μῆλα·* hanc potius mentem scriptoris fuisse intelligimus, in eo quidem communem opinionem sequutum esse artificem, ut Atlantem faceret caelum et terram tenentem, illud autem de suo addidisse, ut ei etiam poma Hesperidum ferenda dederit. Ita si haec interpretamur, non dissentiet Pausanias a versu isto, qui scriptus in arca fuit, sed, Homerum respiciens quum *κατὰ τὰ λεγόμενα* scripsit, hoc dicet, servatae Homericae narrationi novum quid ab artifice esse adiectum. Sed satis de Atlante.

Veniendum nunc est ad id, quod nobis scribendi occasionem dedit. Referendum est enim de quaestionibus, quas commilitonibus de praemio certaturis quattuor Ordines Academiae et hoc anno proposuerant, et proposuerunt in proximum annum. Et S. R. Ordo Theologorum quum quaestionem institui iussisset ratione potissimum Usterii habita, an Paulus Apostolus in morte Christi satisfactoriam vim inesse docuisset, una tantum ei tradita est dissertatio cum hac duplici inscriptione: *τὰ τοῦ θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ.* Paulus. *τὰ θεῶν βουλεύματ' ἐρευνᾶσαι βροτέᾳ φρενὶ δύσκολον.* Pindarus. Eam dissertationem quod magna cum diligentia, idoneaque rei scientia, firmoque iudicio, perspicueque et concinne scripta esset, dignam praemio iudicavit Ordo. Aperta tessera scriptor inventus est LOBEGOTT FRIDERICUS CONSTANTINUS TISCHENDORF, Lengenfeldensis.

Illustris Iurisconsultorum Ordo principiorum iuris civilis et criminalis de dolo brevem delineationem argumentum scriptionum esse voluerat. Id qui tractarent inventi sunt tres: qui quum omnes laudabilem diligentiam ostendissent, is, qui dissertationi suae inscripserat: *circumretit fraus atque iniuria quemque*, quamquam in versando exponendoque argumento, quod copiosissime explicavit, admisit nonnulla, quae vitare et debebat et poterat, in universum rem probabiliter tractasse dignusque praemio esse visus est, quod diligentiam multam eamque cum proprii studii sollertia coniunctam monstrasset. Ex tessera scriptor cognitus est CAROLUS MAGNUS POESCHMANN, Dresdanus, stud. iuris et societatis iurid. Ottonianae socius.

Gratiosus Medicorum Ordo quas duas accepit de vi nervorum in regundis secretionibus quum in sano tum in morboso corporis humani statu, earum neutram ita comparatam iudicavit, ut praemium posset decerni.

Amplissimi Philosophorum Ordinis classi primae una tradita est dissertatio, quae comparationem sententiarum Platonis, Aristotelis, Ciceronis de elementis supremae in civitate potestatis contineret. In ea quum istud argumentum non modo copiosissime atque uberrime expositum, sed etiam scite atque acute explicatum esset, neque oratio non apte et concinne flueret, nec tam desiderari aliquid, quam nonnulla omitti potuisse viderentur, non dubitavit Ordo eam praemio ornandam censere. Tessera, cui inscriptum erat *conamur tenues grandia*, prodidit scriptorem IOANNEM LEONARDUM HOFFMANNUM, Onoldinum, stud. philol., Societatis Graecae et Regii Seminarii philologici socium.

Secundae classi eiusdem Ordinis, quae scribi voluerat tribunorum plebis Romanorum historiam a Tib. Sempronii Gracchi tribunatu usque ad Octavii Augusti principatum, legumque et institutorum ad eos pertinentium rationis explicationem, nulla reddita est commentatio.

Tertia vero classis unam accepit dissertationem, quae theoriam proponeret analytico-geometricam conchoidum, et quidem non solum Nicomedeae, ellipticae, parabolicae, hyperbolicae, sed etiam earum, quae datis basibus curvis construuntur. Inscriptio erat *nil desperandum.* Qui scripsit, quum materiam illam satis visus sit cognitam habere, laudabilique et non infructuoso studio operam dedisse, ut et amplificaret illam doctrinam et ad principia universalia referret, quumque se et scientia bene instructum et idonea rei tractandae facultate praeditum prodiderit, etsi sunt quaedam quae aliqua correctione indigeant, scribendique genus, quod nonnihil ab usitatis mathematicorum formulis discrepat, non satis elaboratum est, dignus existimatus est ut eius dissertationi praemium tribueretur. Inventus est scriptor CARSTEN GUILIELMUS HERMANNUS BRANDES, Vratislaviensis, stud. mathem.

In proximum annum haec sunt ab Ordinibus argumenta ad certandum proposita.

Ab Ordine Theologorum:

Doctrina Nemesii de natura hominis exponatur atque examinetur.

Ab Ordine Iurisconsultorum:

Aquae pluviae arcendae actio ex fontibus enucleetur.

Ab Ordine Medicorum:

Quaeritur, num membranae mucosae corporis humani hac re a membranis aponeuroticis differant, quod ea materia carent, quae coquendo in gelatinam vulgarem convertitur.

Ab Ordinis Philosophorum classe prima:

Libri de re publica Atheniensium et de re publica Lacedaemoniorum num Xenophonti tribuendi sint ex ipsius sentiendi et scri-

bendi ratione iudicetur, et omnino de eorum auctore, forma, atque indole disputetur.

Ab eiusdem Ordinis classe secunda:

Praecipuorum de nexu et ratione inter animam et corpus placitorum recensio.

Ab eiusdem Ordinis classe tertia:

Expositio historica complexus et nexus phaenomenorum, quae nuper a Faradio detecta nomine magneticoelectricorum vel electrodynamicorum per inductionem a pridem cognitis electromagneticis discernuntur.

Habetis, optimi Commilitones, materias, quibus explicandis de praemio inter vos decertetis. Quod qui vestrum facere instituent, eos rogamus, ut quum caeteras leges certantibus scriptas rite observent, tum dissertationes, quas confecerint, intra nonum ab hodierno die mensem Decanis tradendas curent. Nobis acceptissimum erit, si nec deerunt, quibus praemia decernantur, et multi invenientur, quos honorifica laudatione ornare possimus.

P. P. pridie Cal. Novembr. a. MDCCCXXXVI.